

trimoniorum est solus ecclesiasticus. *Communis*, et certa, utpote definita a conc. *Trid.*, sess. xiv, canon. 12, ibi: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. »

(124. Et quidem jure ordinario in causis matrimonialibus iudex competens est solus episcopus, c. *Accedentibus* 12, De excessibus prælator., et conc. *Trid.*, sess. xxiv, De ref. *matr.*, c. 20, verb. *Ad hæc*, ibi: « Causæ matrimoniales non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, sed episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquuntur. »

(125. Nomine autem episcopi hic intelligitur etiam vicarius generalis, etiam absque speciali ad id mandato. *Communis*, arg. cap. final. *De cognat. spiritual.*, et cap. 1, *De frigid. et malefic.*

(126. Item vicarius capitularis sede vacante: *Communis*; ad ipsum enim transit ordinaria episcopi iurisdiclio, cap. *Hi qui* 11, et cap. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., cum similibus.

(127. Iudex autem laicus, seu sæcularis, nullimode potest se ingerere in causis matrimonialibus. *Communis*. Istæ enim sunt causæ ecclesiasticæ, et spirituales, in quibus iudex laicus, seu sæcularis nullimode, nec principaliter, nec incidenter cognoscere potest, c. *Decernimus* 2, Qualiter, et quando 17, De iudiciis, c. *Nullus iudic.* 2, De foro compel., c. *Lator.* 3, c. *Causam, quæ inter* 17, Qui filii sint legitimi, cum similibus.

(128. Alia ad rem: Vide verb. MATRIMONIUM QUOAD IMPEDIMENTA, verb. MATRIMONIUM, verb. SPONSI, verb. STUPRATOR.

(129. Sponsalia Judæorum majorem tribuunt potestatem in sponsam, quam inter Christianos, ita ut corruptor alterius sponsæ pro adultero habeatur, et adulterii pœna puniatur. *Bened.* XIV, tom. II, const. 28, incip. *Postremo mense*, § 19. (130. Hinc est ut sponsus a Judaismo ad fidem Christianam conversus, hujusmodi potestatis jure ad baptismum offerre possit sponsam, quæ sic oblata retinenda est et probanda. *Idem, ibid.*

(131. Sponsalia apud Hebræos inter sponsum ex una et sponsæ parentes, aut proximiores agnatos ex altera parte contrahuntur; vocantur autem eorum lingua *Tenaim*. *Idem, ibid.*, § 63. (132. Sponsalia Hebræorum tunc valida et rata censentur, cum in scriptis legaliter redacta sunt, addita testium subscriptione vel juramento coram testibus præstito inter partes conventa. *Idem, ibid.*, § 65 et 66.

(133. Sponsalia ita contracta non obligant mulierem desponsatam ad contrahendum matrimonium, sed si ipsa recuset, inobedienciæ erga parentes tantummodo arguitur. *Idem, ibid.*, § 64. (134. Si tamen copula post sponsalia sequatur, utraque pars adigitur ad contrahendum matrimonium, non tam vigore contractus, quam in pœnam commissi (reatus). *Idem, ibid.*, § 67. (135. Sponsalia etiam valide, ut præfertur, contracta, facile inter Hebræos dissolvuntur

auctoritate rabbinum, qui contrahentes a juramento absolvit. *Idem, ibid.*, § 66.

(136. Sponsus a Judaismo ad fidem conversus, si sponsam offerat ad baptismum, contractorum sponsalium probationes exhibere tenetur. *Idem, ibid.*, § 69. (137. Si probetur sponsalia juxta nationis suæ mores contraxisse; sponsa ad catechumenorum domum deferri debet, ibique, quandiu oportebit, non tamen ultra quadraginta dies retineri et probari. *Idem, ibid.*, § 70. (138. Si autem probationes tales exhibeat, quæ juxta Christianorum duntaxat leges valida sponsalia evincerent, tum mulier extra vicum, seu *Ghettum*, evocari, et in ecclesia aliove idoneo loco de amplectenda fide interrogari debet, non tamen retineri, nisi conversionis spem ostendat. *Idem, ibid.*, § 69.

(139. Sponsalia coram paroco ac duobus testibus non celebrata, valida sunt, nec potest episcopus irritare. *Idem, De synodo diocesana*, lib. vii, cap. 68, n. 1, et *Instit. eccles.*, 46, § 12, ubi affert ad id plura decreta sacre congregationis Concilii. Vide *superius* num. 24, ubi jam dixi ad valorem sponsalium non requiri præsentiam parochi et testium.

(140. * Sponsalia inita invititis parentibus, quanquam judicari possint valida, juxta dicta *supra* n. 23, illicita sunt tamen, et detecto dissensu parentum solvi possunt, etiamsi jurata sint, quod invicte probat archiepiscopus Rossanensis D. Muscettola in dissertatione legenda in tom. I Operum Zauli ad statuta Faventia. *Cit. Inst. eccl.* 46, § 15.

(141. Si alteruter ex sponsis se ad alias partes transferat inscio altero, admonendus est superior ecclesiasticus, qui tempus aptum assignet absentem, ut redeat, quo elapso, si non pareat, vinculum dissolvitur, *Idem, ibid.*, § 5.

(142. Sponsalia absque interna voluntate exsequendi promissa, dubium est an obligent, est tamen grave peccatum sic promittere, *ibid.*, § 16.

(143. Promissio de præsentem absque præsentem parochi et testium, neque valet ratione matrimonii, neque sponsalium, ut ex pluribus decretis S. Congregationis, *ibid.*, § 24.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(144. Quod ait auctor, n. 53 et plur. sequentibus, contractis scilicet sponsalibus, renuentem inire matrimonium compelli posse ad illud ineundum etiam per censuras, id est non absolute verum. Distinguere oportet virum inter et mulierem. Si vir renuat, potest utique etiam per censuras compelli ad matrimonium ineundum. Et de eo loquuntur textus, in cap. *Præterea*, et in cap. *Ex litteris il secundo de spons. et matrim.* (145. At si renuat mulier, moneri ea debet, non item cogi etiam per censuras ad ineundum matrimonium, et de ipsa loquitur textus, in cap. *Requisivit de*, tit. De sponsalib.

(146. Et ita conciliando mox allegatos

textus processit Rota, et signanter in *Majoricen. Sponsalium* 24 Aprilis 1746, § 10, et in *confirmatoria* 16 Januarii 1747, § 56 et sequent., cor. *eminentiss. Bussio*, et in *Constantien. Sponsalium* 26 Junii 1748, § 7, cor. *emin. Elephantutio*, et 17 Januarii 1749, § 4, cor. *bon. mem. de Vais*.

(147. « Non deest autem (ut recte inquit Rot., in *d. Majoricen. Sponsalium* 16 Januarii 1747, § 6, cor. *emin. Bussio*) causa, propter quam mitius in feminam, et acrius in masculum animadvertatur. Naturalis oppido imbecillitas levitasque muliebris non longe est, ut despectum censurarum facile pariat, magisque suspicari potest, ne femina a fide, quam coacte spondit, facilius desciscat. Cæteroquin summum est inter virum et mulierem in hac materia discrimen, ut mulier si a sponsalibus declinet, nullum irroget præjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet femina. Sin vero a sponso mulier relinquatur, gravissimam ipsa nominis subit diminutionem. »

(148. Num post censuras possit vir præcise cogi ad matrimonium ineundum? Negat absolute auctor n. 60 et duob. sequent. (149. At possunt esse casus, in quibus cogi præcise queat vir ad ineundum matrimonium. (150. Talis meo iudicio est, si quis puellam imprægnavit, et condemnatus est, ut eam aut ducat, aut certa summa definita dotet. (151. Quid si nihil in bonis habeat, ut determinatam quantitatem pecuniæ solvere nequeat? Id sane videtur superesse, ut præcise cogatur ad ineundum matrimonium. (152. Fluit hoc ex natura obligationis alternativæ, in qua alterum absolute et præcise debetur, si alterum ex alternativis præstari haud possit. Sine omni effectu foret sententia, si stuprator neutrum præstare vellet, nec satisfacere justitiæ partique læsæ. (153. Hoc igitur casu admitti potest, ut vel invitus ad matrimonium ineundum cogi vir possit, nec attendi debeat ejus reclamatio, quippe quæ nullum producere effectum potest. Et ita usu servatum est a pluribus tribunalibus.

RESPONSIO AUCTORIS.

(154. Ast sufficit mihi pro mea conclusione habere textus canonicos et doctores *ibi* allegatos. Et quamvis textus in cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus, loquatur de muliere, dicendo: « Respondemus, quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere, » *ly potius* tamen Glossa *ibi* secuta passim a canonistis et doctoribus, tradit accipiendum esse pro *prius*, *ibi*: « Sed expone; potius monenda est, id est prius monenda est, et postea cogenda. » (155. Accedit, quod textus cap. *Præterea* 2, De sponsalibus, loquitur genericè de sponsis, sive viris, sive mulieribus, *ibi*: « Præterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus indu-

cendi, ut præstitam fidem observent. » *Eminentiss. card. Cavalchinus* in causa *Gallipolitana sponsalium*, eam exponens decidendam a S. congreg. Concilii, cujus tunc erat eruditissimus et practicissimus secretarius, de Lucretia Maniera renuente matrimonium contrahere cum Franco de Acugna, quocum prius sponsalia contraxerat, sic refert: « Cumque ibidem antistites Gallipolitani et Neritonensis iterum sententiam Lucretiæ per seipos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc rejiciendo conjugio, ut nec etiam denunciata anathematis pœna, dimoveri ab ea sententia potuerit. » *En ibi* agebatur de renuente muliere, et tamen fuit ei denunciata anathematis pœna. (156. Tum quia ratio a Pontifice Lucio III, adducta in cit. cap. *Requisivit* 17, De sponsalibus, est ista: « Cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. » (157. Quæ ratio nedum militat, cum cogitur mulier invita ad ducendum invisum virum, quam dum cogitur vir invitus ad ducendam invisam mulierem. (158. Imo a fortiori, ex sacra Scriptura, militat in coacto viro ad ducendam mulierem invisam; Proverb. enim cap. xxx, num. 21 ad 33, dicitur expresse: *Per tria movetur terra...* inter quæ *per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta*. (159. Terra autem non dicitur moveri per odiosum virum, cum in matrimonium fuerit assumptus. Hinc, si adhibitis debitis monitionibus et comminationibus, adhuc sponsus, vel sponsa renuat cum tali nubere, non potest finaliter cogi ad nubendum, sed debet dimitti et absolvi, præsertim si advertatur magna animi aversio, ita ut ex tali futuro matrimonio forent timendæ perpetuæ inimicitiae, jurgia, scandala, et alia similia gravia incommoda. Sic Rota, part. iv, recentior. tom. III, dec. 656, num. 10 et 11, part. xvi, dec. 143, num. 6, et abstinendum esse a coactione reluctantis sponsi, vel sponsæ in similibus casibus, ac permittendas nuptias cum alia, censuit sac. congr. Conc., in *Senogallien. Sponsalium* 1 Septembris 1714, lib. *Lxiv Decretor.*, pag. 345, et in *Majoricen. Sponsalium* 24 Aprilis 1723, lib. *Lxxiii Decretor.*, pag. 369, et in *Gallipolitana Sponsalium* 28 Februarii 1733; apud *Theaurum resolution. S. congregat. Concilii, in dict. Gallipolitana* tom. V, et *Mediolanen. Sponsalium* 13 Julii 1725, lib. *Lxxv Decretor.*, pag. 353, et in *Neapolitana* 17 Aprilis 1728, lib. *Lxxviii Decretor.*, pag. 275, per quæ omnia patet responsio ad ea, quæ subjungit d. additor, *ibid.*, num. 148 et seq., nempe num post censuras possit vir præcise cogi ad matrimonium ineundum. Cæterum non negaverim ego sequendam esse Rotam in allegat. *Majoricen. et Constantien. Sponsalium*, ubi concurrant ipsissimæ circumstantiæ *ibi* repertæ.

ADDITIONES CASINENSES.

Haud supervacaneum sit sequentia addere.

(160. Quæritur I, an ad valorem sponca-

lium requiratur praesentia parochi et testium? Ratio dubitandi desumitur ex concilio Tridentino, sess. xxiv. *De reform. matr.*, cap. 1, ubi irritavit matrimonia clandestina; ergo idem dicendum videretur de sponsalibus. Eo ipso enim, quod irritavit matrimonium clandestinum, censetur et sponsalia quoque irritasse: nam poenam impositam clandestino matrimonio censendum esset aequae impositam clandestinis sponsalibus.

« Dicendum tamen (respondet Sanchez) non esse necessarium sponsalia celebrari coram parochi et testibus, sed clam contracta valida esse. Probatur: lex Tridentina irritans matrimonium clandestinum, est correctoria juris communis, et proinde extendenda non est ultra casum expressum: ergo cum solum irritet matrimonium clandestinum, non debet extendi ad sponsalia, sed tanquam casus omissus relinquendus est in dispositione juris communis. » *De matrim.*, lib. 1 disputat. 12, n. 2.

(161. Id ipsum variis sac. congr. Concil. decret. fuit declaratum, ita ut sit communis et certa inter DD. sententia. Porro paulo post Tridentinum Valentiae populi de suo archiepiscopo questi sunt, quod ipse valida existimaret sponsalia, quae sine parochi ac testibus fiebant: quare ad sacram congregationem Concilii confugerunt exponentes quemadmodum parochi ac testium praesentia per Tridentinam synodum in conficiendis matrimoniis requiritur, eodem modo de sponsalibus decernendum sibi videri, licet archiepiscopus diversam opinionem sequeretur: *Istud durum*, inquit, *esse videtur; et propterea credendum est, quod sacra congregatio declarabit etiam clandestinas istas promissiones, non minus quam clandestina matrimonia, nullius esse roboris et effectus, quodque liberum est ac licitum alteri parti ab hujusmodi promissionibus resilire*, lib. 1 *Decret.* pag. 99. At tamen sacra congregatio anno 1573, censuit concilium Tridentinum sess. xxiv, cap. 1, *De reformat. matr. decrevisse tantum matrimonia per verba de praesenti clandestine contracta irrita et nulla esse; sponsalia autem per verba de futuro contracta reliquisse in illis terminis juris, in quibus erant ante concilium.* »

(162. « Hæc eadem sententia ipso anno his verbis confirmata fuit, (ut) l. 1 *Decret.* p. 126: *Disputatum fuit, an sponsalia de futuro aliter, quam praesente parochi, inita suum antiquum robur, quod ante concilium Tridentinum habuerunt, obtineant: responsumque est, obtinere. Insuper die 19 Decembris anno 1596, lib. viii *Decret.*, pag. 196, hæc sancita habentur: Sacra, etc., sæpius declaravit sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam præ-*

(70) « Jure particulari multarum dioceseon, praesertim Galliae et Belgii, sponsalia celebrari debent coram parochi et testibus. In quibus dioceseis, si coram parochi non fuerint contracta, sunt nihilominus rata et obligatoria, inducuntque impedi-

scripsisse concilium, ideoque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum concilium. Hinc sapienter docuit Juvenin, *De sacram.*, dissert. 10, quæst. 5, cap. 1, quæst. 2: *Utrum valeant sponsalia, quibus nec parochus, nec testes adfuerint. Respondetur affirmative. Ratio est quia valebant, imo et licebant ante concilium Tridentinum, ergo his etiam temporibus valent, cum sancta synodus, quæ tum parochi, tum testium praesentiam matrimonio apposuit tanquam clausulam irritantem, nihil simile circa sponsalia statuerit.* » Ita in terminis sapientiss. Benedictus XIV, *Instit. eccles.* 46, n. 12 (70).

(163. Quæres II, sponsalia quomodo probanda? Sponsalia mutuo consensu contracta poterunt utique probari secundum juris communis regulas. Et quidem hujusmodi contractus sponsalium de futuro probari potest non solum per testes et scripturam authenticam desuper confectam, sed etiam per epistolam confessatam, quia hæc contra scribentem plene probat. Proceditque hoc, tametsi talis epistola careat die, loco, consule, inscriptione, subscriptione, Rota, part. 11, recent. dec. 772, n. 9. An eundem contractum probent etiam litteræ amatoriae, in quibus scribens puellam blanda oratione sponsam salutaverit, controversia est. Sed etsi tales litteræ praesumptionem aliquam gignant, si personæ fuerint æqualis conditionis, et coadjuvent probationem sponsalium, Rot., decisi. 772, cit., n. 8, solæ tamen leviores sunt, quam ut in re tam gravi plenam probationem inducant. Sic Schmalzgrueber, ad tit. *De spons.*, num. 77. Quid si unus duntaxat testis producat? *Vid.* num. subseq.

(164. Quinimo si monumenta litterarum et testium omnino desint, nempe si sponsalia clam cæteris omnibus intra compartes contracta fuerint, tunc etiam ad juramentum decisorium provocari posse ad illa probanda non secus ac in omni alia causa, quæ in iudicio proponi potest, ex omnibus juris principis exploratissimum cuique esse debet, Schmalzgrueber, ad tit. *De jurejurando*, n. 16.

(165. Rursus si verba aut signa, quæ in causa sponsalium ad tribunal externum iudicanda veniunt, sint clara quidem, et juxta communem usum loquendi, communemque DD. sponsalia indubitate significant; pars adversa tamen absolute neget, se illa protulisse vel edidisse, pars altera vero id semiplene, vel ita tantum probet, ut revera dubium existat, an pars adversa protulerit illa verba aut signa, necne; causa decidi debet juramento suppletorio pro lite finienda. Tumque cæteris paribus, regulariter reo potius deferendum est, tale juramentum (quod purgatorium communiter vocant, quia purgat et liberat reum ab accusatione et cri-

mentum publicæ honestatis, cum a concilio Tridentino sint relicta intacta, atque ita relicta in terminis et dispositione juris communis. » Ita Antoine, *Theol. moral.*, De matrim., cap. 1, quæst. 3.

mine, aut obligatione sibi objecta), quam actori. Consequenter, si reus est vir, seu persona aequae honesta, ac actor, et actor habet tantum semiplenam probationem pro se, reus vero semiplenam actoris infirmat aut elidit, reo erit juramentum purgatorium deferendum. Reiffenst. ad tit. *De spons.*, § 2, n. 49.

(166. Quod si cætera non sint paria, sed reus v. g. sit vilis, infamis, et de perjurio suspecta, aut alias non legalis persona; actor autem persona legalis, et multum honesta, tunc huic potius, quam reo suspecto deferendum est juramentum suppletorium, dummodo actor prius semiplene suam causam jam probaverit. Imo in causa sponsalium universaliter loquendo, quotiescunque actor suam positionem semiplene probet, v. g. per unum testem omni exceptione majorem, reus vero nihil præstet, sed simpliciter neget, actori (si sit legalis, et de perjurio non suspectus) deferendum est, etiamsi reus sit legalis ac honesta persona ac actor, ut bene docet Reiffenst. cum aliis, l. cit., num. 50.

(167. Enim vero, actore saltem semiplene probante et reo simpliciter negante, omnia jam non sunt paria, sed major praesumptio stat pro actore, quam reo. Proinde ratio et æquitas naturalis dicat, ut iudex illi magis faveat, pro quo major stat praesumptio; et hoc (addit Reiffenstuel) maxime procedit, quando actor est femina, tunc enim locum habet regula Sanchez, lib. 1 *De matr.*, disput. 18, n. 4, per hæc verba: « In dubio favendum est feminis, quia simplicius res tractare solent, faciliusque a viris decipiuntur: » videlicet quando femina atrix semiplene probat, a reo sibi promissum esse matrimonium, reus vero nihil præstet sed simpliciter neget, feminae potius credendum et favendum, consequenter eidem, et non reo simpliciter neganti deferendum juramentum. Anted. Reiffenstuel 1, et n. cit.

(168. Cæterum si actor non sit persona legalis, e contra talis se habeat reus, tunc huic potius quam actori deferendum est juramentum; « etsi actor semiplene probet, et reus simpliciter neget. » Ratio est, quia personæ, quæ legalis non est, juramentum suppletorium a iudice deferri nequit, ut tenent DD. communiter. Reiffenstuel, l. cit., n. 51. Idem ad tit. *De jurejurando*, n. 180.

(169. Quæres III, an et quando copula carnalis, defloratio aut imprægnatio habeatur pro signo consensus sponsalium? R. Copula carnalis absolute loquendo, et nisi alia concurrant, non præbet sufficiens signum sponsalium consensus. *Communis, ac certa.* Ratio patet: quia copula fieri potest, et sæpius, imo a potiori fieri solet ex sola libidine absque ullo animo matrimonium ineundi; ergo ex illa sola consensus, seu mens sponsalium præsumi non potest, nec debet, per vulgaria juris principia de praesumptionibus. Reiffenstuel, *ibid.*, n. 67.

(170. Si vero una cum copula concurrant

verba, aut signa dubia sponsalium contractorum, tunc copula praesumitur, ac censetur facta animo sponsalium, atque ita cum cæteris dubiis signis præbet in foro externo signum sufficiens praesumendi sponsalia. Quippe honesta puella non censetur præbere usum corporis, nisi suo sponso ac sub spe futuri matrimonii, sub qua facile puellæ cæteroquin honestæ persuadentur; ergo ubi signa et copula concurrunt, de factis sponsalibus merito præsumi ac iudicari debet. Reiffenstuel, l. cit., n. 68. Atque ita docent Sporer, Perez, Menoch., Gobat apud eundem Reiffenst. *ibid.* Secus vero se res habet, si puella honesta non fuerit, sed communis, et pluribus exposita, aut alias malæ vitæ, ac in hoc genere suspecta aut diffamata. Reiffenst., *ib.*, n. 69.

(171. Quæres IV, cum sponsalia sint futurarum nuptiarum mutua promissio, quid dicendum, si viri et mulieres polliceantur non de futuro, sed de praesenti: v. g. si vir his verbis utatur: *Ego te in uxorem accipio*: mulier quoque sic agat: *Ego te in maritum accipio*, additis etiam verbis, *coram Deo, B. Virgine, aliisque sanctis?*

R. Hujusmodi pactiones minime appellari posse sponsalia, vel ex eo evincitur, quod assensus *de futuro*, non autem *de praesenti*, sponsalia ipsa constituat. Sin autem eam conventionem nuncupandum matrimonium quis existimet, vehementissime quidem fallitur, cum ex Tridentino nullum omnino irritumque sit ejusmodi matrimonium coram parochi, vel alio sacerdote per parochum designato, et coram duobus testibus non celebratum; neque matrimonium hocce absolute irritum ob parochi et testium non interessentiam, in sponsalia converti potest. « Siquidem certissimum ac tutissimum est matrimonia, quæ absente parochi ac sine testibus inita, per Tridentinum concilium abrogantur, in sponsalia minime transire, quemadmodum sacra congregatio statim ac fuit instituta, nempe paulo post absolutam ipsam synodum, ad hanc usque diem constanter declaravit, quod etiam theologi et canonum interpretes unanimi consensu semper probarunt. »

« In Messanensi causa, anno 1573, lib. 1 *Decret.* pag. 107, hæc petita fuerunt a sacra congregatione: « Fuit contractum matrimonium in civitate Messanae post publicationem decretorum concilii Tridentini per verba de praesenti et mutuum consensum, non factis publicationibus, nec praesente parochi, nisi tantummodo notario, et testibus, etc. Humiliter ab illustriss. DD. VV. petitur declarari, an supradictus contractus matrimonii, cum sit factus contra formam traditam per decretum ejusdem concilii... sit adeo nullus, quod neque transeat in sponsalia de futuro. Sacra, etc., censuit non transire. »

« Eodem anno lib. 1, pag. 132, « et quid, quando promissio est de praesenti, id est cum dixit vir: *Ego te in uxorem*; et mulier: *Ego te in maritum accipio?* Sacra, etc., censuit, promissionem hanc non valere